e,7.

INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXII—III A DIE XV OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT LIC. ANT. POHLMANN

DE MATRIMONII VINCULO INDISSOLUBILI EX SACRA SCRIPTURA PROBATO

COMMENTATIO.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

BRAU
2 (1863)

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. LAURENTIUS FELDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Difficillima quaestio et vehementer controversa, ut vestrum, commilitones humanissimi, nemo ignorat, ad illam sententiam divinam pertinet, quam a Christo Domino de conjugii separandi causa ac ratione pronuntiatam legimus apud Matthaeum quidem apostolum in hunc modum: „Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat“ (5, 32); atque iterum alibi: „Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur“ (19, 9). Quemadmodum enim in universum causae matrimoniales maximis difficultatibus impeditae et obstructae sunt, propterea quod cum ab iis recte ordinandis non singulorum modo hominum, verum totius generis humani salus maxime pendeat diversissimae concurrunt rationes magnopere respiciendae: ita etiam rem esse et societati hominum gravissimam et ob varias singulorum rationes difficillimam cognoscimus, cum quaeratur, utrum matrimonii rite ac valide initi vinculum vivente utroque conjuge omnino non posse dissolvi ex doctrina christiana statuendum sit necne.

Qua in causa summam demum auctoritatem petendam esse ex sacra scriptura certissimum quidem est; quantae vero difficultates in ipsis scripturae verbis interpretandis superandae sint quamque facile sit a recta via abduci atque erronea aliqua et falsa sensus evangelici interpretatione decipi, jam doctissimorum Patrum Ecclesiae variis hac de re sententiis docemur, quas omnes recensere et longum et a proposito alienum est. Etenim non modo inter graecos Patres, cum de causa matrimonii separandi quaererent, alios aliter sensisse, sed ipsos latinos haud ita multum inter se concordasse videmus. Apud orientales evangelica de matrimonii vinculo dicta juxta Matthaeum prementes mox illa consuetudo tanquam lex canonica invaluit, qua uxoris adulterium causa fieret matrimonii ita dissolvendi, ut viro porro aliam uxorem ducere liceret. Ad ejusmodi autem ecclesiasticam orientalium consuetudinem leges civiles ab imperatoribus graecis etiam in causis matrimonii latas, quae summam conjugii christiani rationem nonnunquam negligebant, haud parvam habuisse vim dubitari non debet (cf. Collectio Canonum ab Ebedjesu facta apud Ang. Maium Scriptorum Vett. Nov. Collect. Tom. X pars I pag. 215 sqq.; Nomocanon Barhebraei ibid. T. IX p. II

p. 63 sqq., Canones Ecclesiae Armeniacae ibid. p. 269 sq. necnon Baronii Ann. T. X a. 566 n. 11).

Jam vero ut Protestantes omittam qui cum characterem sacramentalem matrimonio plane detraxissent neque in eo vix aliud nisi pactionem quandam civilem inter ipsos conjuges factam suspicere potuissent sane non habebant cur matrimonii divortium novasque postea nuptias omnino non licere negarent: Ecclesia occidentalis veram matrimonii naturam et vim ex lege divina ita comprobabat et tuebatur, ut conjuges justo matrimonio dissoluto denuo aliud inire minime pateretur; atque ipsa satis causae sibi esse putavit cur pro ista agendi ratione ad traditionem evangelicam et apostolicam expresse provocaret (cf. Conc. Trid. sess. 24 de matr.).

At vero inter catholicos quoque viros doctos semper fuerunt, qui matrimonii vinculum simpliciter et absolute indissolubile esse negarent maximeque adulterium conjugis alterius justam divortii causam esse vellent non quidem omnino rejicientes catholicam in illa re consuetudinem, sed hanc de disciplina tantum ecclesiastica, non de ipsa doctrina christiana ideoque minime immutabilem esse judicantes.

Ejusmodi jam de matrimonii natura sententias temerarias esse atque inanes mihi quidem persuasum est; neque enim video, quomodo ex summa sacrorum librorum auctoritate vere possint probari. Loci in novo testamento non pauci inveniuntur de ipso matrimonii vinculo tam distincte et perspicue agentes, ut verus qui iis insit sensus evangelicus vix ac ne vix quidem in dubio relinquatur. Jam enim Marcus et Lucas evangelistae strictissimis verbis praecepta christiana Magistrum divinum ita fere faciunt proferentem: „Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam, itemque uxor si quae dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur; ipsa enim matrimonii natura ex ordine divino vel in eo consistit, ut duo sint in carne una; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet" (Marc. 10, 2—12. Luc. 16, 18). Hisce dictis Christum Dominum ordinem matrimonii divinum plane posuisse talem, ut per conjugum copulationem non jam personarum duplicitas, sed una ac simplex natura et physica et moralis exprimatur, quae nonnisi Dei ipsius volunte i. e. altero conjuge morte sublato possit dirimi, quis est qui negaverit? Porro ut ad apostolos transeamus, quos quidem doctrinam evangelicam aut prorsus confirmasse aut si quae fuerit obscura atque ambigua latius certe explicasse putemus necesse est, Paulus apostolus eadem fere ratione inseparabilem matrimonii naturam praedicavit aptissime comparatam cum stabilissima Christi et Ecclesiae tanquam sponsae unione (Eph. 5, 28—33); et ut omnis jam hac de re auferatur dubitatio, eundem conjuges vel severius adhortari legimus in hunc modum: „Illis autem qui matrimonio juncti sunt praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non recedere; quodsi discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari; et vir uxorem suam ne dimittat" (1 Corinth. 7, 10—11 cf. Roman. 7, 2 sqq.).

Quorum omnium quos ex sacra scriptura citavimus locorum sensus apertior esse videtur quam ut accuratiore indigeant interpretatione. Jam vero alium nobis scripturae locum de eadem matrimonii causa offerunt, cujus sensum haud ita esse expeditum sane concedendum est; ut enim supra memoravimus, secundum Matthaei evangelium Christus non sine exceptione aliqua matrimonii vinculum indissolubile videtur statuisse. — At hic, ne a vero aberremus, ante omnia inhaerendum esse puto principali illi regulae hermeneuticae, qua ex locis parallelis eandem materiam tractantibus loci intellectu difficiliores ad alios qui clariores apparent interpretandi et definiendi sunt neque e contrario loci clariores ad difficiliores. Tum etiam Matthaeus accuratius et plenius oblatam occasionem descripsit, qua potissimum ad suam de matrimonii vinculo sententiam proferendam Dominus fuerit adductus, Pharisaeos scilicet eum tentantes proposita varia conjugii separandi consuetudine qualis tunc valebat apud Judaeos. Quare intelligimus verum scripturae sensum nonnisi ab eo satis percipi posse, qui cum totum sermonis contextum tum statum quaestionis de repudio a Judaeis vehementer agitatae satis accurate cognitum habuerit. Liceat igitur hoc loco quam brevissime fieri potest ad Mosaicam de matrimonio legislationem ejusque usum successivum animum advertere.

Quemadmodum universam legislationem Mosaicam summae prudentiae notam prae se ferre manifestum est, cum rebus physicis, civilibus politicisque populi Israelitici maxime accommodata appareat, ita etiam, si ad causas domesticas spectemus, a Mose multa videmus praeclare sancita atque instituta. Reputantibus autem nobis quam difficile munus exsequendum suscepisset iste vir gravissimus, cum dux et legislator exsisteret populi qui inter medias gentes moribus utcunque immanibus et corruptis deditas vivebat et maxime captiosis illecebris pravissimi cultus Semitici et Aegyptiaci erat expositus: sine dubio excusationem aliquam accipere aut etiam calculum prudentioris animi agnoscere licebit, quod Moses consuetudines quasdam et ritus ethnicorum quos Israelitae jam antiquitus probaverant et secuti erant non prorsus removeret, sed tantum ita corrigeret atque ad humanitatem honestatemque informaret, ut quidquid iis pravarum opinionum insitum esset aut plane abscinderetur aut certe mitigaretur. — In ejusmodi jam legum numero multa quoque ex iis ponenda sunt quae de causis matrimonii statuenda Moses putavit. Mulierum enim in oriente conditio et fortuna quam humilis fuerit quamque angusta et misera, veteres rerum morumque scriptores satis superque nos faciunt certiores. Virorum orientalium tyrannicus fere animus nihil sentiebat propriam matrimonii naturam quae in summa lege unitae societatis caritatisque mutuae atque indivisae sita est, in illa corporum mentiumque intima familiaritate qua sola tum tranquillitas et concordia familiae tum salus totius populi continetur, imo in muliere plerumque vix aliud suspiciebatur nisi res quaedam ad usum viri destinata ejusdemque arbitrio plane subjecta, simulac pretio aliquo soluto in dominium viri cessit. Huc accedit quod apud orientales polygamia ita obtinuerat, ut, si propter rerum familiarium penuriam plures uxores sustentari non possent, tamen concubinas ex libidine haberi liceret praeter

legitimam uxorem. Rebus ita comparatis cum mulierum jura minime essent rata et munita, quam parum firma ac solida ejusmodi orientalium fuerint matrimonia, facile intelligitur; siquidem pro suo arbitrio vir uxorem ex quacunque causa sibi molestam repudiare atque iterum aliam ducere potuit, quin e contrario uxor paria in virum jura teneret.

Qua perversa conjugis libidinose tractandae consuetudine cum gentes communiter uterentur, jam quaeritur, quidnam Moses de ea senserit et lege constituerit. Omnino ipsum improbasse istam pravam consuetudinem constat quidem, sed radicitus eam ex Hebraeorum populo tollere atque abolere ne ipse quidem potuit; satis igitur pro tunc habuit, ea sancire, quibus ille mos gentilis saltem coerceretur et minueretur. Itaque factum est, ut mulierum dignitas apud Hebraeos revera pluris aestimaretur quam apud ceteras gentes; attamen vel illis nulla poena proposita prorsus erat interdictum ne polygamiae se dederent, nec mulieribus par cum viris conditio juris unquam concessa. Quantum porro attinet iniquum morem uxoris ad arbitrium dimittendae, etiam hunc Moses improbavit multumque circumscripsit; nam viro hanc tantum facultatem concessit, dimittendi uxorem sibi ingratam „propter aliquam foeditatem," sed nonnisi tradito antea ei „libello repudii," in quo istam non amplius suam uxorem esse literis declarasset, quae vero uxor dimissa si alteri viro nupsisset atque iterum repudiata aut etiam vidua relicta esset ad priorem virum redire non jam liceret, „quia polluta est et abominabilis facta coram Domino" (Deut. 24, 1 sqq. cf. 22, 13 sqq.). Haec jam cum Moses de repudio sanxerit, tum agrestium populi Hebraici morum quandam habuisse rationem tum licentiae maritorum aliquem modum eum posuisse extra dubium est. Satis perspicue ipse significat, quantum sibi displiceat inveterata consuetudo matrimonium ex qualibet causa dirimendi novasque deinde nuptias conciliandi; et quae hanc ob rem ad matrimonia munienda sancita legimus, sane ita sunt disposita, ut fieri non posset quin Hebraeorum mores ad libidinem proclives haud parum cohiberent ac corrigerent. Ritus enim in causa repudii legitime observandi, qui postea coram aequis judicibus etiam longiores fieri solebant, rem ita distulerunt, ut praecipitata de ejicienda uxore consilia facile revocarentur.

Quantumvis autem Mosaicae de matrimonio leges temporariae fuerint ac callidae, eas tamen, praesertim cum maritis non omnem spem novarum nuptiarum adimerent, sufficere minime potuisse ad uxores a malitia virorum omnino tuendas ingenue fatendum est neque mirum videri debet quod prophetas nihilominus haud raro videmus conqueri de mulieribus perfide domo expulsis (cf. Mich. 2, 9. Malach. 2, 15). Jamque eorum qui postea exstiterunt legis doctores atque interpretes erat, recepta illa decreta ex mente, non ex solo verbo legislatoris ita fingere atque excolere, ut seclusis et abrogatis omnibus quae tempori tantum atque inveteratae consuetudini serviissent cum lege naturali et divina plane consentirent. Verum longe aliter res porro processit. Sane quidem ex posterioribus sacrarum scripturarum auctoribus semper offendimus qui pravas quascunque de matrimonii vinculo opiniones impugnaverint jamque de subtiliori conjugii natura morali graviter

commonuerint (cf. Prov. 2, 17. 18. Malach. 2, 14. 15. Sir. 26, 1 sqq.). At non ita longo intervallo factum est, ut universo ingenio institutorum Mosaicorum prorsus neglecto maxime litera legis scripta observaretur et in sensum quomodocunque arbitrarium verteretur. Ultimis enim ante Christum saeculis cum in cognoscendis custodiendisque vel minimis praeceptorum particulis omnem salutem populi sitam esse arbitrati Judaei in scripturarum lectionem atque interpretationem nimio fere studio incumberent, paulatim animus ille minutiarum cupidus eos occupavit, qui tantum aberat ut in lege aliqua interpretanda summam consideraret rationem ad quam omnia referri oporteret, ut potius voci legis externae plurimum tribueret ideoque morum disciplinam mox angustissimam mox laxissimam traderet. Sic etiam apertum istum in Deuteronomio locum de conjugiis separandis tam copiose sunt commentati, ut totum tractatum nomine „Gittin" in Talmude completum deprehendamus, in quo quidem minutissima quaeque ac futilia de libello repudii describuntur, quod autem rem maxime continet, divina instituti matrimonii ratio necnon praecipuum legislatoris consilium ne verbo quidem commemoratur. Quodsi ad causam respiciamus, ex qua legitime quidem viro liceret uxorem dimittere, mirum in modum a doctoribus Judaicis ita definitam legimus: „R. Schammai ejusque discipuli dicunt: Non licet viro dimittere uxorem suam nisi in ea invenerit turpitudinem quandam (d'bar ervah); scriptum enim est: si invenerit in ea aliquid turpe (ervath dabar). — R. Hillel ejusque discipuli dicunt: Licet uxorem etiam dimittere, si coquendo escam corruperit; scriptum enim est: si invenerit in ea turpe aliquid (h. e. aut turpitudinem aut aliquid aliud). — R. Akiba dicit: Licet etiam viro uxorem dimittere, si aliam ea pulchriorem invenerit; scriptum enim est: si non invenerit gratiam in oculis ejus" (Mischna tr. Gittin IX, 10). Minime igitur viderunt isti doctores, per legem civilem pro tempore etiam a Mose nonnulla fuisse licita, quae aeterna lege perfectae honestatis haud ita probari videbantur. Omnium quidem optime Schammaeanos verbi Deuteronomici sensum expressisse liquidum est; sane enim illo nihil aliud auctor intelligi voluit nisi vitam mulieris impudicam naturae matrimonii omnino contrariam (cf. Jes. 50, 1. Jer. 3, 8). Nihilo tamen minus levior Hillelianorum sententia, qua quidquid viro in muliere displicuisset legitima divortii causa esse deberet, in diem magis vicit atque etiam in vitae consuetudinem transiit, propterea maxime quod cum effrenatis illo tempore Romanorum legibus moribusque consentiebat (cf. Fl. Jos. Antiqq. IV, 8, 23; XVI, 7, 3; Vita 76).

Haec fere sunt quae praemittenda putavi, ut quaestionis statum de repudio qualis Christi temporibus apud Judaeos fuerit rite teneamus et verba evangelica ad illa spectantia recte judicemus. Pharisaei jam quemadmodum nullo non tempore id potissimum quaerebant, ut Christo Domino insidias ponerent eumque in populi invidiam atque odium vocarent tanquam legis adversarium aut certe falsum interpretem, ita etiam adhibita ista de repudio controversia eum tentare et confundere voluerunt; quod eorum consilium eo malitiosius habendum est, quod illo ipso tempore Herodes Antipas Galilaeae et Peraeae tetrarcha

rejecta sua conjuge filia regis Arabum cum Herodia fratris sui uxore pactionem fecerat nuptialem (cf. Matth. 14, 4). Interrogabant ergo Pharisaei, an homini liceret uxorem suam dimittere quacunque ex causa (*κατὰ πᾶσαν αἰτίαν*) h. e. an Hillelianorum doctrina quae populo maxime placeret probanda esset necne. Christus autem cognitam eorum malitiam ita disturbavit, ut ad legum de matrimonio latarum ingenium et mentem in ipso veteri testamento declaratam eos rejiceret atque hoc modo eorum agendi rationem continuo damnandam ostenderet. Etenim divinum matrimonii ordinem ex ipsa scriptura sacra supponit talem elucere, ut pacto foedere nuptiali vir et mulier toto genere in unum jungantur eandemque personam repraesentent et corpore et animo penitus unitam. „Non legistis quia qui fecit hominem ab initio masculum et feminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una itaque jam non sunt duo, sed una caro (*καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν ὥστε οὐκέτι εἰσὶν δύο ἀλλὰ σὰρξ μία*). Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet“ (Matth. 19, 4—6). Pharisaei rursus hoc Christi judicium de matrimonio tanquam omnino inseparabili aegre ferentes statim Mosaicam de repudio legem opponunt: „Quid ergo, inquiunt, Moses mandavit dari libellum repudii et dimittere?“ Quibus ille ita respondit: „Propter duritiam cordis vestri Moses vobis permisit dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic“ (v. 7. 8). En responsum quo perfidis Judaeis aptius et praeclarius reddi non potuit! Ut recta interpretationis regula postulat, Christus Dominus maxime veteris de matrimonio legis ingenium proponit et Pharisaeis insano literae scriptae amore ductis aperte affirmat, Mosen nonnisi permisisse dari libellum repudii propter duritiam cordis Judaeorum, utpote qui prava ethnicorum consuetudine corrupti altiorem matrimonii rationem nondum potuerint sustinere. Ex toto jam orationis contextu praeprimis haec constare mihi quidem persuasum est: Judaeorum consuetudo ex quacunque causa uxorem dimittendi tanquam honestati periculosa prorsus rejicitur ac damnatur; lex Mosaica, quae ob vitam impudicam uxorem accepto libello repudii a viro dimittendam esse sancivit, non tam ordinem matrimonii divinum respicit quam corruptos populi Hebraeorum animos; ordo denique matrimonii divinus ex ipsa scriptura sacra evincitur in eo potissimum consistere, ut uterque conjux inseparabili omnino vinculo sibi adhaereat.

Huc usque textum evangelicum plane perspicuum esse nemo non videt. Sed nunc porro sequitur versus ille difficilis, qui jam pridem doctissimorum virorum ingenium exercuit neque tamen nodum praebuit ullatenus expediendum. Continuo enim post illa quae modo exposuimus Matthaeus divinum Magistrum facit haec loquentem: „Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem (*παρεκτὸς λόγου πορνείας*) et aliam duxerit (*καὶ γαμήσῃ ἄλλην*), moechatur (*μοιχᾶται*), et qui dimissam duxerit, moechatur“ (v. 9). Quid jam? Christum Dominum ita a se ipso dissensisse, ut, quod proxime quam sanctissime affirmavit, uno fere tenore rejiciat et neget,

num forte putandum est? Minime quidem. Fieri nullo modo potest, ut hic versus contrario sensu intelligatur, quasi divinum ordinem matrimonii prorsus indissolubilis infirmet ac tollat et praecipue uxoris adulterium justam causam divortii novarumque nuptiarum viro esse statuat, ne dicam a lege christiana magnopere alienum esse, ut in causis matrimonii jura alterius conjugis praevaleant et viro concedatur quod mulieri integrum non sit. Nihilo tamen secius verba illa praetereunda aut removenda non sunt quae nobis occurrunt: „Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur," quae quidem quacunque ex parte consideraveris, satis hoc ex iis concludi debet: „Qui dimissa uxore adulterata aliam duxit, non moechatur."

Quae cum ita sint, interpretes oblatis in nostro versu difficultatibus vario modo occurrere conati sunt. Sed omnes quae in lucem prodierunt interpretationes, quas quidem hic recognoscere opera omnino supersedendum puto, nimis duras esse et coactas vel etiam perspicue aliquo errore subnixas ideoque minime sufficere ad locum nostrum illustrandum, satis intelliget, qui earum sibi aliquam notitiam paraverit. Quam ob causam etiam non defuerunt, qui verba „παρεκτὸς λόγου πορνείας" deleri vellent et genuina esse negarent contra ipsam codicum manuscriptorum unanimem auctoritatem; quae ratio non probanda esse apparet. Sed et ipse magnopere dubitandum esse puto, an noster textus, qui in sermonis evangelici cursum vix aptari posse videtur, ab origenali per scribarum manus paululum non aberraverit. Jam enim alia potius lectio mihi probanda videtur et Patrum et codicum graecorum testimonio satis confirmata, praesertim autem a Vaticano omnium codicum etiamnunc principe oblata in hunc modum: ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι· καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας μοιχᾶται. Ejusmodi varias lectiones permultas in novi testamenti textum transiisse, maxime autem in evangelium Matthaei, quod quidem ex origenali hebraico in graecum translatum esse verisimillimum est, teste textus historia nec dubium nec mirum videri debet. Sic illa quoque verba „καὶ γαμήσῃ ἄλλην" postea demum in multis codicibus addita esse videntur ad nostrum textum cum parallelo Marci et Lucae evangelistarum quodammodo conformandum. Hoc igitur posito textus noster eadem plane exhibet, quae alio quoque loco apud eundem Matthaeum legere licet: „ὅτι πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι κτλ." (5, 32.) Quaeritur jam, qua ratione haec Matthaei verba ad illam de matrimonii vinculo sententiam possint congruere, quam Marcus evangelista simpliciter et absolute tradidit ita pronuntiatam: „ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτὴν κτλ." (10, 11.)

Utrumque evangelistam his locis, licet verbis ab invicem dissentire videantur, tamen re et sententia ipsa in unum convenire, facile probari posse existimo, dummodo totum evangelii scripti consilium teneamus, quod utrumque auctorem secutum fuisse videmus. Etenim inter omnes constat, singulos ex quatuor auctoribus in scribendis evangeliis proprium sibi constituisse finem ac rationem maxime respectu eorum, qui in primis illa

recepturi essent et lecturi. Hac potissimum de causa factum est, ut de Christi Salvatoris doctrinis rebusque gestis sive ad materiam ipsam sive ad ordinem respicias evangelistae ab invicem haud parum discedant. Matthaeus quidem apostolus, ut Patrum monumenta et criticae virorum doctorum observationes simul comprobant (cf. Hug Einl. II, 5 sqq.), ad usum scripsit Judaeorum Palaestinensium atque hoc praecipue intendebat, ut per Christum qui tunc jam mundi salvator apparuisset omnia veteris testamenti instituta atque oracula vere esse completa et perfecta Judaeis persuaderet. Hunc in finem et praeceptorum, rituum, consuetudinum quae illo tempore plurimum valebant apud Judaeos ubicunque fieri potuit praecipuam habuit rationem comparationemque fecit cum doctrina christiana, et ex rebus gestis praeceptisque Jesu hominum salvatoris ea tantum quae potiora videbantur ad propositum finem consequendum elegit atque in usum suum convertit. Quare etiam mirari non debemus, quod apud Matthaeum non modo rerum evangelicarum ordinem chronologicum, verum haud raro rerum absolutionem desideramus. — Longe alia mente et conditione Marcus insignissimus ille interpres s. Petri apostoli evangelium suum exaravit atque in vulgus emisit; namque illorum maxime, qui ex ethnicis jam exsistebant Christifideles, imprimis Ecclesiae Romanae desideriis necessitatibusque prospiciens Jesu tanquam filii Dei vitam ac doctrinam ita descripsit, ut summatim quidem, sed juxta ordinem chronologicum ea proponeret, quae aut ipse a Petro apostolo didicerat aut per traditiones sive ore hominum propagatas sive jam literis scriptas acceperat, plerumque tamen singula facta adjunctis etiam rebus minoris momenti diligenter et accurate referret (cf. Hug Einl. II, 121 sqq.).

Ejusmodi igitur variae proprietates cum et Matthaei et Marci evangeliis inhaerere cognoscantur, inde etiam nonnullae quae obveniunt inter ipsos discrepantiae facili opera expediri posse mihi videntur. In quarum numero illud quoque habendum est, quod Matthaeus aliter ac Marcus Christi Domini sententiam de quaestione circa divortium tunc maxime a Judaeis agitata literis consignaverint. Ante omnia jam de loco disputationis utrumque evangelistam parum consentientem deprehendimus.

Juxta Marcum enim Dominus cum Pharisaeos insidiosos ad naturam matrimonii ex ordine divino inseparabilem delegasset jamque domum esset reversus, discipulis iterum de eadem causa interrogantibus respondit expressis illis verbis: ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κτλ.; contra Matthaeus apostolus his similia Pharisaeis etiamtunc audientibus sumpsit Dominum respondisse. Ex his sententiis utra sit verior, definiri vix poterit, sed ne interest quidem multum quaerere. Tantum id unum dico: Matthaeus qui sive Judaeos sive eos qui ex Judaeis in Christum jam credebant suo evangelio erudiendos confirmandosque suscepit, doctrinam christianam eo modo proposuit, ut simul Judaeorum praecepta ac consuetudines quae ad illam aliqua ex parte pertinere videbantur ex summa auctoritate judicaret et corrigeret; Judaeis autem non modo per legem Mosaicam quibusdam conditionibus divortium licebat, verum sensim etiam prava ista consuetudo probata erat uxorem ex qualibet causa

molestam domo ejiciendi; quamobrem cum ad captiosam Pharisaeorum quaestionem de libello repudii Dominum ita legimus respondisse ut qualis inde a principio ex ordine divino fuerit matrimonii natura et vis breviter exponat jamque continuo prosequatur hisce verbis: *λέγω δὲ ὑμῖν, ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι*: quid aliud eum dicere voluisse putemus nisi id quod respectu depravatae hominum naturae doctrinae quoque christianae maxime consonum est: licere quidem separationem conjugum interdum fieri, cum nempe uxoris nefanda impudicitia viro manifesta fuerit, minime tamen id licere ex mente Judaeorum, quasi conjugem sic separatum ad novas nuptias transire fas esset; statim enim ad arcendam ejusmodi interpretationem sinistram subjiciuntur haec: *καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμῆσας μοιχᾶται*, quibus verbis vivis conjugibus matrimonii denuo ineundi facultas disertissime ademta est. Proinde juxta Matthaeum evangelistam Christus tum veteris de divortio legis rationem in tantum habuisse apparet, ut conjuges si justa causa intercessisset ab invicem separari non omnino vetaret, tum suam ipsius de ea re sententiam satis aperte ita proposuisse, ut matrimonii rite initi vinculum indissolubile esse conjugibusque eo inter se conjunctis novas nuptias prorsus non licere declararet. — Alia jam ratione Marcus evangelista christianam de matrimonii natura doctrinam proponere debuit, cum iis potissimum qui ex ethnicis christiani exsistebant evangelium suum ut narrationem rerum ex vita Christi memorabilium offerret, quos quidem opinionibus praejudicatis non ita ductos ad percipienda novi foederis praecepta augustissima Judaeis longe aptiores fuisse constat; porro verba ista de quibus quaeritur non jam ad Pharisaeos, sed ad ipsos discipulos Domini dicta esse ponit, quibus datum erat nosse mysteria regni coelorum (Matth. 13, 11). Quibus ex causis factum esse merito concluditur, ut Marcus aperte et sine ullo respectu praeceptorum morumque Judaicorum christianam de matrimonii vinculo doctrinam lectoribus proponeret et Magistri divini sententiam, ex qua conjuges secum matrimonio juncti non jam divelli ab invicem novasque nuptias petere deberent, satis simpliciter graviterque expressam faceret hisce verbis: *ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν*. Jam quod tale divortii interdictum non ad solos viros, sed ad ipsas quoque mulieres referendum esse monere Marcus non praetermittendum putavit subjunxitque: *καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς καὶ γαμήσῃ ἄλλον, μοιχᾶται*: luculenter id ipsum comprobat quod jam supra posui, Marcum nimirum in scribendo suo evangelio maxime illos respexisse, qui ex ethnicis religionem christianam amplexati fuerant. Apud Judaeos enim, qui etiam tunc ita morati erant, ut jure civili mulieres minime viros aequipararent, uxori non idem quod viro licebat, libellum repudii dare; qua de causa Matthaeus apostolus, qui ipsos Judaeos evangelii sui lectores constituit, sane non habebat, cur etiam de uxoribus viros dimittentibus suam aperiret sententiam. At vero apud Romanos arbitraria mariti dimissio res erat non omnino inaudita, imo labentibus magis magisque moribus vel usitatissimum uxoribus fieri coepit, viros matrimonio sibi conjunctos ex libidine repellere aliisque porro nubere quibus vellent (cf. Seneca de benef. I, 26. Fl. Jos. Antiqq. XV, 11.

Tertull. Apol. c. 6 cett.). Igitur Marcus evangelista facere non potuit quin divortii interdictum ad uxores quoque pertinere diserte declararet.

Omnibus his quae hucusque disputata sunt diligenter consideratis, quantum quidem ad quaestionis summam attinet, jure meritoque contendi ipsi vos, commilitones humanissimi, videtis, in sacris novi testamenti libris nulla nobis occurrere argumenta, ex quibus matrimonii vinculum juxta ordinem divinum prorsus indissolubile esse recte possit negari neque minus id constare videtis, Matthaeum et Marcum evangelistas, si forte Christi Domini sententiam de conjugiis separandis vario modo retulerint, ad mutuam concordiam facili opera posse reduci. — Valete.

Scribebam Brunsbergae mense Maio a. MDCCCLXII.

A. Pohlmann.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam primi aevi christiani tradet excepto die Lunae quotidie h. XI—XII.
II. De jure ecclesiastico disseret diebus Martis, Jovis et Veneris hora VI—VII.

Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O.

I. Antiquitates sacras Hebraeorum docebit diebus Lunae et Jovis hora IX—X.
II. Utramque Paulinam ad Corinthios datam epistolam explicabit diebus Martis et Veneris h. IX—X.
III. Jesaianorum vaticiniorum partem priorem interpretabitur diebus Mercurii et Saturni h. IX—X.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Introductione in studium theologicum praemissa tradet Apologetices primam partem diebus Lunae et Jovis hora II—III et die Veneris hora X—XI.
II. Doctrinam christianam de Deo exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora X—XI.
III. Repetitiones instituet die Saturni hora X—XI.

Lic. Ant. Pohlmann, P. P. E.

I. Theologiae moralis partem alteram tradet quater per hebd. hor. VIII—IX.
II. Introductionem generalem in sacros V. et N. T. libros dabit necnon de Hermeneutica biblica disputabit ter per hebd. horis definiendis.
III. Exercitationes aut Syriacas aut Arabicas instituet semel per hebd. hora definienda.
IV. S. Augustini librum de civitate Dei interpretandum offert semel per hebd. hora definienda.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Aeschyli Septem adversus Thebas interpretabitur aut drama Sophocleum ter per hebdomadem hora X—XI.

II. Minucii Felicis Octavium explicabit aut Horatii epistolam ad Pisones bis per hebdomadem horis definiendis.

III. De rebus mythologicis disseret bis per hebd. hora X—XI.

IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Physicen experimentalem docebit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae et Jovis hor. XI—XII.

II. Astronomiam populariter exponet diebus Martis et Veneris hor. XI—XII.

III. De chronologia et de calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus et horis definiendis.

IV. Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum, et calculum differentialem et integralem docebit diebus Lunae et Jovis hor. II—III.

Dr. Joan. M. Watterich, P. P. O. Des.

I. Expeditionum cruciatarum historiam tradet quater per hebd. hora matutina VIII.

II. Imperatorum Stauficorum res saeculo XIII gestas enarrabit horis definiendis.

Dr. Ludovicus Gerkrath, P. P. E. Des.

I. Psychologiam tradet quinquies per hebdomadem hora III—IV.

II. Historiam philosophiae recentioris continuabit bis per hebdomadem hora IV—V.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Feldt,** diebus Martis et Veneris hora XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica quum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

B. O … OPHORUM.

Dr. Franc … t. Decanus.

I. Aeschyli Septem adv … a Sophocleum ter per hebdomadem hora X—XI.

II. Minucii Felicis Octav … l Pisones bis per hebdomadem horis definiendis.

III. De rebus mythologic …

IV. Exercitationes philolo … ora definienda.

Dr. Laur. …

I. Physicen experimenta … us physicis instituet diebus Lunae et Jovis hor. XI—XII.

II. Astronomiam populari … r. XI—XII.

III. De chronologia et de … et diebus et horis definiendis.

IV. Theoriam generalem … calculum differentialem et integralem docebit diebus Lunae …

Dr. Joan. … Des.

I. Expeditionum cruciata … ora matutina VIII.

II. Imperatorum Staufico … ris definiendis.

Dr. Ludov … . Des.

I. Psychologiam tradet …

II. Historiam philosophiae … dem hora IV—V.

Publi … subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui … us Martis et Veneris hora XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et … uum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lu …